



† R. P. Franciscus Ter Haar (1857–1939)

(Prov. Holl.)



Die 4 Iunii a. c., festo SS. Trinitatis et iam incepta liturgica festivitate B. M. V. Mediatrix omnium gratiarum, vesperi h. 21,30, in domo generalitia sancto fine quievit R. P. Franciscus Ter Haar, per 25 annos Consultor Generalis (1911–1936), suis scriptis doctis solidisque ubique terrarum notus, nobis autem et cunctis Caelicis multo magis carus ob eximias suas virtutes. Beatæ eius mortis aderant Rm̄us P. Generalis et numerosi confratres, nominatim eius confessarius Pl. R. P. Cons. Gen. A. Sordet,

qui morienti pius affectus suggerebat ultimamque sacramentalem largitus est, et A. R. P. Dir. C. Damen, qui commendationem animæ recitavit. Qui huius sanctæ mortis testes erant, verba vatis biblici repetebant: *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia* (Num. 23,10)!

Franciscum Ter Haar illa pars orientalis Neerlandiæ genuit, quæ Gelria et accuratius Tubantia (*Twente*) audit, cuius incolæ non modo ob fidem suam catholicam et morum bonitatem famosi sunt, sed etiam propter certam animi pervaciam. P. Ter Haar quoque haud semel in vita aliis in memoriam revocabat illud: *Omnis Sanctus pertinax*. Attamen hoc in casu vox *Sanctus* multo magis premenda quam epitheton *pertinax*. Haud semel eius pertinacia potius inde proveniebat, quod alterius mentem non capiebat. Pagus *Denekamp* (i. e. Campus Danorum) hunc gratiosum florem protulit d. 25 Iun. 1857¹. Eius parentes gaudebant fama rectitudinis plane exemplaris, et in eorum domo habitare adhuc existimatur pignus esse benedictionum caelestium. Optimus Francisci pater ante suum obitum dixit se libenter mori, ut Deo convenienter pro tot beneficiis receptis gratias agere posset. Piam matrem P. Ter Haar ipse multoties « Sanctam » appellabat. Primam communionem Franciscus d. 2 Apr. 1868 recepit, vix undecennis. Sancti gaudii lacrimæ eo die humectarunt genas innocentis parvuli, qui electus est a paroco ut omnium nomine consecrationem Marialem recitaret².

¹ In imagunculis mortuariis erronee scriptus est dies 5 Iunii.

² Haec P. Ter Haar d. 18 Apr. 1938 ei qui hæc scribit narravit, item insequentem suæ vocationis historiam aliisque temporibus alia hic relata et suo tempore statim scriptis mandata.

Mense Novembri anni 1869 quatuor Patres nostri in Denekamp missionem praedicarunt. Cum Provincia Hollandica tunc temporis cogitaret de aperienda aliqua schola apostolica seu iuvenatu, tres missionarii, RR. PP. Deckers, van Ryekevorsel et De Bruyn, unus independenter ab altero, statim oculos in hunc puerulum ad altare tam pie inservientem coniecerunt. Interrogatus ab eis, velitne forsitan fieri Redemptorista, id toto animo affirmavit; et cum clerus loci optimum ei testimonium dedisset, unus missionarium rem rettulit ad P. Provinciale H. Schaap (qui postea evasit Vicarius Apostolicus Surinamiae et Patrem Ter Haar sacerdotem ordinavit). Is candidatum cum patre Amstelodamum accersivit ac brevi misit admissionem authenticam.

Sic Franciscus noster inter primos 5 iuvenistas fuit, qui d. 2 Maii 1870 Ruraemundae duce P. Gul. Wulfingh (item postea Vicario Apostolico Surinamensi) studia latinitatis aggressi sunt. Valde modesta quidem primo tempore erat externa studiorum ratio, verum P. Director erat verus pater, et Fr. I. Ferdinandus erat quasi mater pusilli illius gregis, qui procul a periculis mundi in umbra prodigiosi simulacri B. M. V. in Arena laetus adolescebat. Primus iuvenista, frater nostri R. P. Ioannis Laur. Jansen, mortuus est iam ante novitiatum, nec reliqui tres commilitones vota emisere; sic Franciscus Ter Haar evasit vexillarius (et quam dignus signifer!) magnae illius catervae Patrum, qui in Hollandica Provincia ope iuvenatus ad statum religiosum et sacerdotalem pervenerunt.

De tyrocinio confrater defunctus d. 24 Oct. 1930 haec narravit, quae oblivione obrui nefas esset: «Magistrum habui severum, qui nunquam ullum verbum bonum daret. Et cum viderem eum de vocatione mea incertum (fortasse quia nimis sincerus fueram, pandens quoque meas contra P. Magistrum tentationes aliaque quae dicere prorsus non oportebat), ipse quoque de mea vocatione dubitare coepi, et per tres menses in summis animi angustiis versabar. Interdum, silens per hortum Buscoducensem deambulans, sorti avium invidebam, quod rationis expertes essent; et libentissime tunc mortem oppetiissem. Solus somnus mihi dabat quietem, donec et hoc solacium ultimo me fugeret.

«Cum novitiatum, 17 annos natus ingressus eram, inde ab initio tria proposita conceperam: 1) omnia sincere P. Magistro manifestare; 2) non redire ad saeculum nisi audissem a P. Magistro me non esse vocatum; 3) omnem exorientem difficultatem orando B. Mariae V. et S. P. Alfonso committere. Haec fideliter servavi, et praesertim multum oravi, sive in oratorio, sive incedens per circuitus..., et pro certo habeo me meam vocationem debere Beatissimae Virgini. Sic Alfonsianum gratiae systema in me denuo comprobatum est!

«P. Magister rem meam, sibi dubiam, P. Generali decidendam reliquerat; hic autem cum suis Consultoribus me recepit. Tum vero novae angustiae: Forsan non omnia dixi, quae ad rem dirimendam necessaria erant... Quinto ante professionem die P. Provincialis Oomen in domum novitiatu venit et me interrogavit de animi statu. Respondi me paratum quidem esse ad vota nuncupanda, nihilominus vitam futuram mihi perdifficilem videri, quasi carcerem perpetuum. Tum ille: Vide, inquit, quid revera Patres nostri agant; quomodo in missiones exeant et ad alios labores

apostolicos. Non sumus semper inclusi ut Carthusiani. Placetne tibi talis vita? — Utique. — Ergo vocationem habes! — Ex eo momento pax rediit et magno cum gaudio vota emisi d. 25 Maii 1875 »¹.

Post ordinationem sacerdotalem (17 Oct. 1880) P. Ter Haar, postquam per annum Lector iuvenatus Ruraemundensis fuit, Wittemium revocatur ad docendam S. Scripturam, id quod ab anno 1882 ad annum 1891 perfecit. Ipse de hac materia pauca scripsit, sed potius, cognita sua scriptoris vocatione, de theologia morali et pastorali. Anno enim centesimo a S. P. N. Alfonsi beata morte (ita nobis narravit) clare intellexit S. Doctoris nostri magnitudinem praesertim in eius morali et pastoralis doctrina positam esse; proinde huius doctrinae illustrationem et defensionem plurimum conferre ad salutem animarum et Instituti honorem. Statuit igitur nobilissimo huic scopo vires suas integras dedicare, cui proposito sancta sua pertinacia fidelis mansit usque ad mortem. Revera adhuc ipso die obitus ultima verba scripsit cuiusdam dissertationis speculativo-practicae, ad morale systema pertinentis: « De triplici statu mentis post indagatam veritatem iuxta doctrinam S. Thomae ».

A. 1893 P. Ter Haar Praefectus studentium renuntiatur, Rector autem Wittemiense collegii P. van Rossum (qui tamen iam a. 1895 exeunte Romam vocatus est). Inter clericos sibi concreditos novus Praefectus non modo pietatem ac virtutis studium promovere satagebat, sed etiam solidam scientiam, quasi praesagiens ea, quae postea Christi in terris Vicarius religiosus viris tam sapienter inculcaturus erat: « Rerum sacrarum cognitionem cum necesse sit Ecclesiae ministros et maximi facere et penitus percipere, id ipsum est hortationis huius Nostrae caput, ut sodales religiosos, sacerdotio vel iam potitos vel posthac initiandos, ad disciplinas sacras assidue excolendas excitemus, quas nisi calleant, vocationis suae munia perfecte absoluteque implere non poterunt »².

A. 1896, cum P. Piat O. M. Cap. periodicum suum *Nouvelle Revue Théologique* Provinciae nostrae Belgicae obtulisset, P. Ter Haar hoc consilium, quantum poterat, adiuvit. Exacto autem quadriennio suae Provinciae peculiare procuravit periodicum theologicum *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, quod inde ab a. 1901 nostri una cum sacerdote saeculari C. Schaepman edere coeperunt et quod hucusque viget floretque. Inter eius scriptores multoties etiam nomen Ter Haar apparere patet³.

¹ Quomodo P. Ter Haar etiam publice ad haec facta alluserit, in adamantino scilicet iubilaio professionis, videre est in *Analectis* 1935, 198. De praecedentibus iubilaio aureis ibidem 1925, 158 et 1930, 283.

² PIUS PP. XI, Epist. Apost. *Unigenitus Dei filius* 19 Mart. 1924 (*Analecta*, 1924, p. 91 et passim).

³ Completum elenchum eius operum, opusculorum, articulorum videsis in tomo II et III Bibliographiae nostrae a R. P. De Meulemeester editae. Characteristica haec longa series incipit a quodam de S. Alfonso articulo scientifico anni 1887.

Versus huius saeculi exordium nonnulli Patres collegii Wittem (Wouters, Jansen, Ter Haar) magnum opus aggressi sunt, oppugnandi videlicet omnibus viribus probabilissimum absolutum seu minusprobabilissimum. P. Ter Haar in hac controversia fortem se monstravit pugnatorem, non solum variis doctis articulis et opusculis, sed etiam monographia ampla de Decreto antiprobabilistico Innocentii XI, tum Germanice tum Latine edita. In Germanica editione adornanda usus est adiutorio docti P. Iosephi Wawer, sodalis Provinciae Germaniae Inf. († 29 Maii 1932 Bonis Auris). Est opus solida doctrina refertum et immensae diligentiae documentum et quoddam pro futuris proeliis armamentarium. Quod librum Augustini Lehmkuhl, S. L., inscriptum *Probabilismus vindicatus*, non refutasset, P. Ter Haar doluit usque ad mortem. Omnis Sanctus pertinax!

A. 1904 P. Ter Haar qua Praefectus clericorum successorem habuit P. Iacobum Schrauwen, sed unam alteramve disciplinam secundariam (theol. asc. et liturg.) docendam retinuit. Mox etiam electus est Minister domus.

A. 1909 a sua Provincia Romam mittitur Vocalis Capituli generalis, in cuius sessione XIV (17 Maii), praecipua eius opera, statutum est: «I. Quo magis Congregatio nostra, quae merito gloriatur Fundatorem habere sanctum Ecclesiae Doctorem, scientia et doctrina floreat, magisque ideo in ea studia excolantur, Capitulum generale statuit, ut quamprimum erigatur Schola Maior sub titulo *Collegium Maius S. Alfonsi*». Sequuntur sex alii de eodem argumento articuli¹. Revera autumno eiusdem anni haec Schola Maior initium sumpsit, et ita quidem, ut Patres studentes, exceptis S. Scripturae et iuris can. cultoribus, domi suas praelectiones haberent. Cum vero primus Scholae Praefectus (ita tunc dicebatur), Pl. R. P. Cons. Gen. J. Favre, nimis aliis muneribus distentus esset, ut aequae etiam Praefecti officio satis posset facere, mense Aprili 1910 in hoc ei suffectus est P. Ter Haar. Qui quidem a. 1911 exeunte, elevato ad cardinaliciam dignitatem P. van Rossum, simul electus est Consultor Generalis. Scholam autem Maiorem R. P. Iosepho Rudisch gubernandam reliquit, quando haec autumno a. 1912 ad S. Ioachim translata est².

Tempore belli P. Ter Haar, cum ad Statum neutri belligerantium parti adhaerentem pertineret, in Alma Urbe remansit, doctis suis studiis deditus nota sua assiduitate. Eius Cardinalis van Rossum, a. 1918 nominatus a Benedicto PP. XV Praefectus S. C. de Propaganda Fide, mox duos e nostris vocavit ut inter alumnos Collegii Urbaniani officio confessarii ordi-

¹ *Acta integra Capitulum gen.*, n. 1459.

² Exacto anno ad pristinam sedem, domum generalitiam, rediit, sed ex illo tempore separatam communitatem formare coepit, donec saeviente magno gentium bello cogeretur quiescere usque ad autumnum a. 1921.

narii fungerentur, id quod P. Ter Haar egregie praestitit usque ad a. 1928. Etiam in ecclesia nostra, quoad vires id permisere, multorum confessiones excepit. Eum post mortem P. Cons. Gen. F. Speidel (1928) rite electum esse Admonitorem Rectoris Maioris et exinde pluries Rm̃i P. Generalis absentis vices gessisse probe adhuc recordamur.

Ob aetatem adeo provectam in fine Capituli ultimi (1936) sponte Consultoris Generalis munere se abdicavit. Substitit vero carus senex in domo generalitia, ibi ad valetudinarium infimae circuitationis transiens, et maturae suae sapientiae thesauros amanter cum tot confratribus, suis paenitentibus, communicare cunctosque suis virtutibus fulgentibus aedificare pergebat.

Licet numquam in vita gravi morbo correptus et organa vitalia, ut cor et cerebrum, possidens sana, tamen corporis vires magis magisque declinare sentiebat, ita ut tandem vix solus pedem movere posset et quasi ad infantis staturam rediret. Quodam die (19 Nov. 1937) confratri confessus est: « Sentio magnam et continuam corporis defatigationem, sive cum scribo, sive cum edo, gressum facio, sive cum Missam celebro... Itaque cogitatio, me forte ad S. Alfonsi aetatem perventurum, potius horrore me afficit. Quantopere mihi placent verba ultima Psalmi 141: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo; me expectant iusti, donec retribuas mihi!* Tamen, si Deus ita vult, diutius vivere non recuso. Nequeo equidem cum S. Martino dicere: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*, quia clare cognosco me in mundo esse supervacaneum (?) et aliis oneri. Tamen, Domine, fiat voluntas tua! » — Paulo ante ex eius ore hos pulcherrimos affectus audivimus: « Spero bonam mortem; nam amo Iesum Christum et sincere doleo de omnibus peccatis. Ergo per merita Christi Domini et intercessionem bonae Matris Mariae me salvum fore spero ».

In corpore adeo debili conservabat admirabilem mentis viriditatem. Ad quam comprobendam sufficit recolere opera et opuscula hac ultima periodo evulgata. Fere nunquam in vita a Missa celebranda abstinuit. Triplex casus infelix et gangraena auriculae dextrae caro seni multorum causa dolorum fuere, quos quo animo pertulerit, manifestant haec eius verba d. 7 Apr. 1938 confratri dicta:

« Noli pro me Deum orare ut me doloribus liberet, sed solum ut plene me divinae voluntati conformem. Vesperi dico: Nunc vado in Purgatorium; at in hoc Purgatorio simul merita nova acquirere valeo, in altero non item. Deus nobis largitur beneficium, cum in hoc mundo nos pati vult, qua gratia igitur bene utendum est. Nocturno tempore, cum doloribus vexor, semper repeto actus conformitatis cum divina voluntate, quamquam inde sensus doloris minime minuitur. »

Prima vice sacramentum extremae unctionis pientissime recepit d. 26 Dec. 1938, cum morbus « influenza » quoddam mortis periculum seni longaevo adduxisset, et iterum altero ante obitum die; bronchitis enim supervenerat, inde probabiliter proveniens quod triduo illi Alfonsiano 24–26 Maii¹ in ecclesia interfuit. Haec etiam proxima mortis causa exstitit, et

¹ *Analecta* fasc. 3, p. 133.

ita carissimus P. Ter Haar occidit victima magni sui erga Patrem legiferum amoris! Deus autem providentissimus eum sic liberavit a doloribus horrendis, quos gangraena in suo progressu certissime allatura erat. Qui in vita in familiae nostrae sinu nil nisi amorem et caritatem severat, is in extrema senectute ab omnibus, a Patribus et praesertim a Fratribus laicis, permultum amoris messuit; ipse vero de omni caritatis actu gratias agere nunquam omisit, centies in die suum *gratias!* ex intimo pectore proferens. In aliis quoque multis occasionibus ostendit magnam animi sui nobilitatem.

Fratres laici eum curantes admirabantur praeterea eximiam pudicitiam huius senis, in hac quoque re sese genuinum S. P. N. Alfonsi filium ostendentis, insuper certam hilaritatem in mediis rebus adversis, et purissimam intentionem, qua soli Deo in omnibus placere studebat.

In tota vita cordi habuit mansuetudinem et humilitatem Cordis Iesu imitari. Confratri illi, cui multa cordis intima confidit, d. 19 Apr. 1931 ait se quondam una humiliatione fortissima bene tolerata plus in spiritu profecisse quam exercitiis piis integri anni. Eidem d. 24 Sept. 1938 confessus est se iam in iuvenatu sensisse magnam erga S. P. Alfonsum pietatem, et hanc in novitiatu studentatuque semper crevisse, praesertim legendis scriptis Alfonsianis, velut opusculo *Il gran mezzo della preghiera*. Suam cum Deo conversationem totam spiritu Alfonsiano imbutam esse, repetendo iterum iterumque: «Te amo, mi Iesu; da mihi plus amoris et perseverantiam in amore!» Petitiones eiusmodi sibi connaturales esse ut respirationes pectoris.

Confratri, cui conscientiam suam moderandam crediderat, senex tanta virtute praeditus singulis mensibus novitii sinceritate et humilitate suos defectus, quos vocabat, pia desideria bonaque proposita revelabat.

Cum verbi apostolatium, extra confessionum excipiendarum ministerium, exercere nequiret, apostolatui calami eo maiore assiduitate sese devotebat, etiam tempore rusticationis Tusculanae cotidie, sumpto bono ientaculo, doctis libris manuscriptisque immersus usque ad examen particulare.

Forsitan nostratium nonnulli, ex opusculo anonymo *Examen conscientiae circa virtutes menstruas* genuinum vocationis nostrae spiritum haurientes, nesciunt eius auctorem esse Patrem Ter Haar. Ipse etiam delectabatur cotidiana lectione aurei opusculi *De imitatione Christi*.

Sed haec hactenus; nam etiam in texendo carissimi confratris necrologio *sunt certi denique fines*. P. Ter Haar, in corporis apparentia adeo parvus, fuit et doctrina et sanctitate profecto gigas quidam, et immensis meritis onusta eius anima, e corpore exiens, ante Iudicem suum apparuisse putanda est. Quare liceat ei applicare verba liturgiae: *Franciscus pauper et humilis, caelum dives ingreditur, hymnis caelestibus honoratur*¹. Have, pia anima!

¹ In Missa diei 4 Octobris.